

De
epistularum latinarum formulis.

Programm
des Kgl. alten Gymnasiums zu Bamberg

von

Dr. Johann Babl,
Kgl. Gymnasiallehrer.

Bamberg 1893.

W. Gärtner's Buchdruckerei (D. Siebenkees).

9ba (1893)
2



Epistularum latinarum verba sollemnia observanti mihi tot tamque variae formulae occurrebant, ut operae pretium esse existimarem, de talibus rebus quaestionem instituere et omnes formulas memorabiles sub uno quasi aspectu ponere. Quas ut investigarem, eo magis admonebar, quod hominum doctorum adhuc nemo in talia inquisivisset. Qua opera si contigerit simul, ut afferam nonnulla, quae non displiceant iis, qui cum vel arte et praeceptis proprietatem atque elegantiam, vel thesauris vocabulorum omnem copiam linguae latinae comprehenderent, breviter tamen hanc rem perstrinxerunt atque attigerunt, haud me paenitebit suscepisse quod quantae esset operae, vel ab initio nullo modo me potuit praeterire.

Priusquam ad ipsam rem accedam, placet in universum pauca disputare.

Atque primum quidem ut ambitum dissertationis meae declarem, percensui magna cum cura et solutae orationis scriptorum et poëtarum epistulas quotquot inde ab initiis litterarum Romanarum usque ad Caroli Magni aevum extant, ita tamen, ut V., VI., VII., VIII. saec. epistulas summatim tantummodo tractarem. Fines enim huic libello praescripti ex immensa materia prudenter ea quae alicuius momenti essent eligere coëgerunt. Ex liberae reipublicae temporibus praeter Ciceronianarum epistularum corpora nullas superesse epistulas soluta oratione scriptas maxime nobis dolendum est. Nam et litterarum a M. Catone ad Marcum filium datarum (Jordan, pag. 84) et epistulae illius inclutae a Cornelia

Gracchorum matre Gaio filio inscriptae (Peter, hist. Rom. fragm. 222, 7) tam parvae reliquiae supersunt, ut de forma earum existimari nequeat; Caesaris autem, Pompei, Bruti, Cassii, Cornelii Nepotis, Antonii, aliorum epistulae quae commemorantur, aetatem non tulerunt.

Deinde pauca dicam de ratione, quam secutus sum in colligendis proponendisque formulis.

Omnibus enim summa qua potui diligentia perlustratis duo potissimum epistularum genera esse distinguenda intellexi. Sunt autem, ut Ciceronis ipsius verbis (ep. ad fam. II 4, 1) utar, aut familiares et iocosae aut severae et graves. Quibus generibus conveniunt formulae: aliae sunt in familiaribus, aliae in sollemnibus litteris.

Sed non solum minutas et subtiles formularum distinctiones indagabo, sed etiam earum tamquam vitae aetates et decursum a prima iuventute ad ultimam senectutem adumbrare et exemplis allatis quasi oculorum conspectui subicere conabor, ut earum incrementa, fata vicissitudinesque cognoscamus.

Sic de varietate usus et discrimine certiores facti simul historia illustrata in quaestionem vocabimus, quem singulis scriptoribus locum assignes in novandis formulis et quatenus secuti sint eum imitatores.

Postremo quod attinet ad stilum et sermonem epistularum (De epistulari genere scribendi egregie disseruit E. Woelfflinus in Philologi Leutschiani tom. 34, pag. 139 ss.), occurrunt haud paucae locutiones, quae in vitae cotidianae sermone frequentissimae erant. In primis autem ii, qui familiares ac privatas epistulas scripserunt, in verbis eligendis, struendis, collocandis quam proxime accesserunt ad genus dicendi vulgare, id quod ipsius Ciceronis his verbis ostenditur: „Verumtamen quid tibi ego videor in epistulis? nonne plebeio sermone agere tecum? epistulas cotidianis verbis texere solemus“ (ep. ad fam. IX 21, 1). Quae cum ita sint, etiam ad sermonem cotidianum accuratius cogno-

scendum ex hac mea commentatione aliquantulum fructus percipi posse persuasum habeo.

Sed haec quidem hactenus.

Transeamus nunc ad explicationem ipsam!

Atque primum quidem viam ac rationem, quam ingresurus sim, breviter indicabo.

Epistularum latinarum verba sollemnia optime ita pertractari mihi videntur, ut primum de salutandi formulis, deinde de proemiis, tum de valedicendi formulis, postremo de diei locique subscriptione explicetur.

Initium igitur faciant salutandi formulae.

Pars prima.

De salutandi formulis.

Haec quaestio propterea ambigua et impedita est, quod non omnes inscriptiones verae ac genuinae, sed aliae mutatae, aliae omissae, aliae fictae sunt. Neque enim omnes scribae vel librarii, qui epistulas describebant et in unum cogebant, officiis suis probe fungebantur: alii in inscribendis epistulis errabant, alii eadem verba iterum iterumque scribere nolebant, sed aut compendiis utebantur aut partem tituli aut totum ut rem parvi momenti omittebant. Nonnulli vero ex libidine inscriptiones interpolabant et vitiabant. Itaque arti divinatoriae latissimus patebat campus, et posterioribus temporibus librarii epistularum anonymarum titulos ad formam ceterarum inscriptionum explere conabantur. Qui cum in verbis addendis vel omissis suis ingeniis nimis indulgerent, factum est, ut multae epistularum inscriptiones corruptae ad nos pervenerint.

Sed tempus est ad ipsam rem accedere.

Veterum epistulae a salutandi ¹⁾ formula, quam nos in

1) Epistularum principiis salutem adscribere moris fuisse documento sunt hi loci: Ovid. Pont. 2, 7, 1 *Esse salutatum vult te mea littera primum*; Liv. 24, 31, 7 *secundum salutem, ut assolet, scriptum erat ... eqs.*; Symm. 2, 69 *solet generalem salutationem familiaris sermo praemittere ... eqs.*; ibid. 6, 37 *dictionem salutis antefero, quae et voto meo supra omnia convenit et litterario debetur exordio*; cf. etiam 7, 34; 66; 9, 20; 131.

fine collocamus, initium sumunt nomenque eius, qui scribit epistulam, in initio positum est; velut: Cicero Attico salutem.

Salus autem non iisdem semper vocibus notatur, sed aliae formulae adhibentur in familiaribus, aliae in sollemnibus litteris. Praeterea a Frontonis aetate magni est momenti, quo ordine in epistularum titulis nomina posita sint. Huc accedit, quod omnibus temporibus plurimum differt, utrum praenomina, cognomina, dignitates, pronomina possessiva adscripta sint necne. Quae cum ita sint, hanc disputationis meae partem ita instituo, ut primum de iis quibus salus notatur vocibus, deinde de nominum collocatione, tum de nominibus, dignitatibus, epithetis ascriptis, postremo de pronomibus possessivis additis exponam. Nequaquam enim supervacaneum esse arbitror persequi singula, quippe quae ad res quasdam obscuriores illustrandas magni sint momenti.

Primum igitur disputabo de iis quibus salus notatur vocibus.

A. De iis quibus salus notatur vocibus.

Prima et vetustissima, quod sciam, salutandi formula est salutem dicit, quae saepissime inter duo nomina posita est. Extat enim apud Plautum (Bacch. IV 4, 82 = 734: Mnesilochus salutem dicit suo patri; cf. etiam Pers. IV 3, 32 = 501) et Claudium Quadrigarium in epistula, quam scriptor ille a consulibus Romanis ad Pyrrhum regem missam refert (Peter, fragm. hist. Rom. pag. 143: Consules Romani salutem dicunt Pyrrho regi¹).

Aurea, quam vocant, litterarum aetate hanc formulam praecipue in gravi et severo litterarum genere usurpatam invenimus. Exempla nonnulla ponam: Cic. ad Att. VIII 11 A

1) Hanc epistulam a Claudio Quadrigario ipso compositam esse, Schnorr v. Carolsfeld in commentatione, quae inscribitur: Ueber die Reden und Briefe bei C. Sallust. Gefr. Preisschrift, Leipzig 1888, pag. 22 ingeniose comprobavit.

(Wesenberg) Cn. Magnus procos. s. d. M. Ciceroni imp. Cf. etiam ibid. VIII 11 B, C, D; 12 A, B, C, D; ad fam. I 1—9; XV 3—16. Publicarum¹⁾ litterarum hoc exemplum affero: ad fam. XV 1 M. Tullius M. f. Cicero procos. s. d. cos. pr. tr. pl. senatui. Cf. etiam ibid. XV 2 et 12. Cum haec formula usurpatur, semper fere praenomina, cognomina dignitatesque adscribuntur et rebus formalibus omnis diligentia adhibetur. Quod recte me monere, ex locis modo laudatis plane elucet. Postero tempore haec formula non prius occurrit quam apud script. hist. aug.; velut 19, 15, 6; 27, 18, 2. Adde, quaeso, Auson. epist. 3 (Schenkl); Apoll. Sid. carm. IX (Luetiohann); Monum. Mogunt. 3, 67 (Jaffé).

In epistulis ad familiarissimos datis nonnunquam vocabulum „plurimam“ ascriptum est. Formula

salutem plurimam dicit invenitur apud Cic. ep. ad fam. XVI 9 Tullius et Cicero Tironi suo sal. plur. dic. Cf. etiam ibid. XVI 1; 4; 5; 6; 11; 26; 27.

Transeo nunc ad formulam

salutem mittit, quae apud Ovidium saepe invenitur. Epistulae Ovidianae omnes fere a salutando initium capiunt et omnium litterarum versibus scriptarum primum locum formularum copia ac varietate obtinent. Sed ut clarissime cognoscas non futilia aut commenticia me in medium proferre, exempla aliquot adscribam, quibus quae modo dixi, confirmentur:

Pont. 1, 10, 1 s.: Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem:

Mittere rem si quis qua caret ipse potest.

Poëta ludit in duplici significatione vocis „salus“; alia eiusmodi exempla Ovidiana legas Trist. 5, 13, 1 s.; Heroid. 3, 1 s.; 4, 1 s.; 15, 1 s.

1) Post aetatem Ciceronianam publicarum litterarum tituli nomina sola exhibent, voce „sal.“ prorsus omissa. Conferas Plin. epist. lib. X et Symm. lib. X.

Praeterea conferas script. hist. aug. 19, 15, 6 senatus populusque Rom. salutem, quam nunc primum recipere coepit, dicit.

Jam pergam locos, ubi „salutem mittit“ legitur, enumerare:
Ovid. Pont. 2, 2, 3 s.: Mittit ab indomitis hanc, Messaline, salutem,

Quam solitus praesens est tibi ferre, Getis.

Hoc exemplum propterea notabile est, quod poëta in verbis „mittere“ et „ferre“ ludit.

Denique litteris exscribendum esse censeo hunc locum:
Ovid. Heroid. 13:

Mittit et optat amans, quo mittitur ire salutem
Haemonis Haemonio Laodamia viro.

Hi versus a Sedlmayero (Proleg. crit. ad Ov. Her. p. 67 ss.) tamquam spurii abiciuntur. Sed cum Ovidii consuetudo sit, a salutando exordiri, et persimilia sint initia ep. 14 et 18, non est, cur hos versus abiciamus. Nam si deessent, prooemio careret epistula. Adstipulor igitur Vahleno, qui eos genuinos esse existimat.

His, quos modo attuli locis adnumerem: Ov. Pont. 1, 8, 1; 4, 9, 1; Trist. 5, 13, 1; Heroid. 1, 1; 3, 1; 4, 1; 15, 1.

Venio ad formulam

salutem impertit, quae extat apud Lucil. 27, 1:

..... salutem fictis versibus Lucilius,
quibu' potest, impertit . . . eqs.

Cf. etiam 27, 2. Semel legitur formula

salutem donat: Migne, Patrol. lat. 66, pag. 17 C Gloriosissimo et clementissimo filio Justiniano Augusto Joannes episcopus urbis Romae sal. donat.

Porro magnus eorum locorum numerus est, quibus legitur vocabulum

„salutem,“ verbo prorsus omisso.

Haec elliptica¹⁾ formula usurpatur in familiaribus potis-

1) Ellipsim in sermone vulgari non raram fuisse, docet O. Rebling,

simum epistulis, in quibus componendis non magna adhibetur diligentia.

Atque huc quidem pertinent Ciceronis epistulae ad Atticum amicissimum¹⁾ (exceptis XVI, quae inscriptionem „Cicero Attico“ exhibent), ad Quintum fratrem, ad Brutum. His adde: corp. inscr. IV nr. 659: Sulimea Cissonio fratrabiliter²⁾ sal. Sall. hist. fragm. pag. 121 (Jordan) Mithridates regi Arsaci salutem³⁾. Accedunt Senecae epistulae, quae omnes praeferunt hunc titulum: Seneca Lucilio suo sal. Sunt enim non verae, sed fictae epistulae. Idem statuendum est de Plinii epistulis (lib. I—IX), quae omnes formulam „sal.“ exhibent.

Perraro invenitur formula

multam salutem. Extat apud script. hist. aug. 24, 10, 10 Claudius Regiliano multam salutem. Quocum compares, quod est apud Plaut. Poen. I, 2, 195 = 407 (R.). Sensus ut dicunt translato legitur apud Cic. ep. ad fam. VII 33, 2 ego vero multam salutem et foro dicam et curiae eqs.

Multo frequentius invenitur

salutem plurimam. Loci sunt: Cic. ep. ad fam. IV 11; VI 12; X 33; XIII 68; 69; 70; XIV 7; 9; Migne 61, pag. 1005 D.

Versuch einer Charakteristik d. röm. Umgangssprache. Progr. Kiel 1873, pag. 18 extr.

1) Cf. ad Attic. VIII 14, 2 ego tecum tamquam mecum loquor. In epistula „Cic. s. d. Q. Caecilio Q. F. Pomponiano Attico“ inscripta (ad Att. III 20) Cicero iocatur. Quod exemplum ob eam causam est memorabile, quod eo egregie demonstratur, quales fuerint illa aetate sollemnes salutandi formulae.

2) Hoc vocabulum cotidiano loquendi mori adnumerandum esse, docet O. Rebling, l. l. p. 14 extr. Cf. etiam Draeger, *hist. Synt. d. lat. Spr.* I 99; Osthoff i. *Woelffl. Archiv.* IV 455—66.

3) Hanc epist. ab Sallust. ipso compositam esse, sagaciter probavit Schnorr v. C. l. l. pag. 8. Cui eo magis assentior, quod ante aetatem Ciceronianam formula „salutem“ verbo omisso nusquam legitur.

Pergamus iam ad eas formulas frequentissimas, ubi vocabulo „sal.“ voces quaedam additae sunt.

Usque ad III. post Christ. nat. saec. scriptores, quod attinet ad epist. formam, Ciceronem plus minusve imitati sunt, ab hac vero aetate prorsus aliae usurpantur formulae et quaedam in salutando species atque pompa adhibetur. In primis scriptores christiani turgidis utuntur formulis, quae verborum quasi festivitate ac varietate distinctae sunt. Dicta vero exemplis illustrentur:

Cypr. epist. 10 (Hartel) in Deo patre perpetuam sal.;

ep. 67 et 75 in Domino sal. (Cf. Salvian. ep. 6);

ep. 76 aeternam¹⁾ sal.

Hieron. ep. 103 (22, p. 831 Mig.) . . . in Christo salutem.

Apollinaris Sidonius Plinii et Symmachi exemplum secutus verbosis illius aetatis salutandi formulis abstinet et „sal.“ tantummodo scribit, velut 3, 5 (Luetich.) Sidonius Hypatio suo sal. Item Ambrosius locutiones illis temporibus usitatas „in Domino sal.“, „in Deo sal.“, „in Christo sal.“ sprevit, velut ep. 23 (16, p. 1026 C. Mig.) Dominis fratribus dilectissimis episcopis per Aemiliam constitutis Ambros. episcopus.

Consideravimus in superioribus eas formulas, quae vocem salutis exhibent. Jam transeo ad eos locos, ubi nomina sola leguntur voce „sal.“ prorsus omissa.

Atque eiusmodi quidem inscriptiones praeferunt epistulae familiariter scriptae, veluti Cic. ep. ad fam. VI 13 Cicero Ligario. Alia exempla Ciceroniana legas ep. ad fam. IX 2—8; X 1; 4; 6; 7; 10; 11; 12; 13; 15—23; ad Att. XIII 1. His adnumerem: Sall. Cat. cap. 35 (Jord.) L. Catilina Q. Catulo²⁾. Tales inscriptiones exhibent Traiani et Plinii epistulae mutuae (lib. X), quae vere epistulae nominantur.

1) Cf. Koffmane „Geschichte des Kirchenlateins“, pag. 149 extr.

2) Hanc epist. veram ac genuinam, non fictam esse rectissime perspexit Schnorr v. C. l. l. pag. 25—29.

A Plinii aetate humiliores in epistulis ad superiores, ut dignitas eius, ad quem dantur litterae, magis insignis fiat, vocem „sal.“ omittunt¹⁾. Praeter Plin. lib. X huc referendae sunt Frontonis ad Caesares epistulae. Exempli gratia pag. 20 (Naber) Caesari Aurelio domino meo consul tuus Fronto²⁾. At inscriptiones earum epistularum, quas Fronto ad amicos misit, omnes fere „sal.“ exhibent³⁾.

Quae sequuntur salutandi formulae apud poëtas potissimum inveniuntur. Sunt autem fere hae:

Salutare. Exempla sunt: Ov. Pont. 2, 6, 1 s.:

Carmine Graecinum, qui praesens voce solebat,
Tristis ab Euxinis Naso salutatur aquis.

Cf. etiam ibid. 2, 7, 1; Trist. 3, 7, 1; Lucil. ex libr. incert. 9 (Müller); Stat. silv. 4, 5, 4 (Baehrens).

Salvere iubere. Pauca tantummodo huius formulae exempla suppetunt. Extat hisce locis: Lucil. 6, 1 (M.) Salvere iubere salutem est mittere amico. Hor. epist. 1, 10, 1 Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus.

Hanc locutionem sermonis vulgaris fuisse equidem crediderim.

Eadem paucitas, quam in locutione „salvere iubere“ observavimus, etiam in formulam

salve dicere cadit. Legitur enim hisce tantummodo locis: Auson. epist. 5 (Schenkl):

Ausonius salve caro mihi dico Theoni,

Versibus expediens quod volo quodve queror.

epist. 16: Perge, o libelle, Sirmium,

et dic ero meo ac tuo

have atque salve plurimum.

1) Cf. Symm. 2, 69 (Seeck) solet generalem salutationem familiaris sermo praemittere e. q. s.

2) Inscriptionem „Domino meo Vero Aug. sal.“ (pag. 119) non genuinam esse equidem crediderim; nam praeter hunc locum omnes epistularum ad Caesares missarum inscriptiones voce salutis carent. Itaque vocabulum „salutem“ delendum esse censeo.

3) Loci sunt: pag. 172, 175, 177, 178, 179, 180.

Hoc loco inserere liceat formulam

ave, quam et prosae orationis scriptores et poëtae adhibuerunt. Cuius formulae usum his exemplis illustrabo: Gell. 15, 7, 3 (epist. Augusti) ave, mi Gai, meus¹⁾ asellus iucundissimus. Ovid. Pont. 4, 13, 1 s.:

O mihi non dubios inter memorande sodales,
Quique, quod es vere, Care, vocaris, ave.

Pseudo-Senec. epist. 11 et 12 (Haase) Ave mi Paule carissime. Fronto, p. 43 (Naber) Have²⁾ domine; ibid. pag. 47 Habe³⁾ mi⁴⁾ magister optime; cf. etiam pag. 70.

Epist. imperat. rom. ex collect. canon. Avellana (ed. Guilelm. Meyer) 4 (pag. 15) Have Piniane carissime nobis . . . eqs.

1) Cf. etiam Salvian. epist. 8 (Halm) vale, mi domine et dulcis meus. De hoc nominativo pro vocativo posito conf. Neue, Formenlehre d. latein. Sprache II pag. 187.

2) In antiquis monumentis sic scriptum fuit. Fronto, quem verbis verborumque formis paulo magis priscis admodum delectatum esse constat, praeter eos quos laudavi locos litt. h addidit pag. 16 harena, pag. 18 holus, pag. 225 holusculum. Praeterea conferas Cael. in Cic. ep. ad fam. VIII 16, 4 simulatque have mihi dixit. De hac scriptura conf. Iw. v. Müller, Handbuch der kl. Altertumsw. II pag. 180; Corssen, Ausspr. I pag. 47 ss.; Fleckeisen, 50 Art. pag. 18. Classici scriptores aspirationem respuerunt (cf. Koffmane, l. l. pag. 112).

3) Cf. etiam pag. 253 vibo. In primis Africani et Hispani (cf. P. Geyer i. Woelffl. Arch. II 25) b pro v enuntiabant. De litteris v et b inter se mutatis egregie disseruit Woelfflin., über die allitt. Verbind. der lat. Sprache, in den Sitz.-Ber. d. k. b. Ak. d. W. z. München (1881) tom. II pag. 22 Cf. etiam Woelffl., lat. u. rom. Komp. pag. 83 et 88; Corssen, Ausspr. I pag. 61 sqq.; Beiträge pag. 158; Nachträge pag. 179; Koffmane, l. l. p. 111.

4) Mi = mihi. Haec forma contracta sermonis cotidiani erat. Cl. Neue, Formenlehre d. latein. Spr. II 180; Bücheler, Rh. Mus. XI 515. Ciceronem eam (praecipue in epistulis ad Atticum) adhibuisse veri simillimum est. In codice quidem Mediceo pronominis personalis „ego“ dativus saepenumero in „mi“ contractus invenitur. Itaque non intellego, cur Wessenbergius et Baiterus hanc formam ex epistulis exturbaverint.

Ultimo denique loco, quae commemoretur digna videtur formula

gaudere et bene rem gerere. Extat apud Hor. in epist. 1, 8, 1: Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano

Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.

Haec phrasis idem valet ac Graecum illud *χαίρειν καὶ εἰς πάντα*. Cf. etiam Plaut. Trin. III 3, 43 = 773 (Ritschl): Illum bene gerere rem et ualere et uivere.

Sed expositis iis quibus salus notatur vocibus nunc accedam ad pertractandam nominum in salutando collocationem.

B. De nominum collocatione.

Usque ad II. post Christ. nat. saeculum et in gravi et in familiari epistularum genere nomen eius, qui scribit epistulam, praegreditur; hic est constans nominum ordo. Exempla nonnulla ponam: Cic. ep. ad fam. X 2 M. Tullius M. F. Cicero procos. s. d. cos. pr. tr. pl. senatui. Sall. hist. fragm. pag. 121 (Jordan) Rex Mithridates regi Arsaci sal. Senecae epistulae genuinae omnes inscriptionem „Seneca Lucilio sal.“ exhibent. Scriptor ille imperitissimus, qui epistulas inter Senecam et Paulum commutatas interpolavit, sibi non constitit, cum modo „Senecae Paulus sal.“, modo „Paulus Senecae sal.“ scripsit.

Hae inscriptiones si genuinae¹⁾ sunt, epistulas esse spurias facile intellegas, quod ante Frontonis aetatem nomen eius, qui scribit epistulam, semper, ni fallor, praegreditur. Denique in Plinii epistulis omnibus nomen eius, qui scribit ep., praecedit.

Fronto priorum scriptorum consuetudinem perrupit, cum in epistulis ad Caesares datis nomen suum postposuit²⁾, velut

1) Has epistulas valde corruptas esse satis constat.

2) Excepto uno loco (pag. 72): Fronto Caesari. Hanc inscriptionem non integram esse equidem crediderim; censeo scribendum esse: Caesari Fronto.

pag. 41 (N.) Domino meo Caesari Fronto. Cf. etiam pag. 5, 11, 20, 40, al. Contrarius ordo nominum ab eodem usurpatur in epistulis ad amicos, exempli gratia pag. 178 (N.) Fronto Avidio Cassio salutem. Alia eiusmodi exempla legas pag. 172, 175, 177, 179. Vides Frontonem in collocandis nominibus dignitatis eius, cui inscribitur ep., rationem habuisse. Cuius usus quasi signifer et dux Fronto posterioribus scriptoribus fuit ac posthac is, qui scribit ep., si is, cui inscribitur, honore superior est, nomen suum postponit; neque raro in epistulis ad pares humaniter nomina eodem ordine ponit. Quod ut statuum, omnibus epistularum inscriptionibus inter se comparatis commoveor. Ad rem accuratius illustrandam haec exempla afferre mihi liceat: Script. hist. aug. 15, 7, 2 (Peter) Senatui populoque Romano Claudius princeps. Quocum loco si contuleris 26, 41, 1 Felices ac fortes exercitus senatui P. Q. R., et imperatorum, qui tum erant, infirmitatem atque inertiam et militum superbiam atque insolentiam facile intelleges. Scriptores h. a. enim, ut veteres historicos, epistulis textui insertis hominum naturam et mores quam maxime expresse legentium oculis subicere voluisse constat. His adde ex Mignii Patrol. lat. 22, epist. 36 (pag. 452) Beatissimo papae¹⁾ Damaso Hieronymus (huc pertinent etiam inscriptiones epist. 99 et 114). Contra conferas ibid. epist. 84 (pag. 744 Mig.) Hieronymus Pammachio et Oceano fratribus salutem. Inter priorem et alteram inscriptionem magnum discrimen intercedere quivis concedat. Idem discrimen est inter hos Ambrosii locos: epist. 1 (16, pag. 876 Migne) Beatissimo augusto Gratiano et christianissimo principi Ambr.

1) Fuit nomen hoc commune pastoribus omnibus in ecclesia usque ad Gregorium VII, qui constituit, ut papae nomen unius esset in orbe christiano. Ennodius primus nomen papae episcopo Romano indidit; item Cassiodorius pontificem Rom. solum „papam“ appellavit, reliqui scriptores aliis quoque episcopis nomen papae imposuerunt. Cf. Koffmane, l. l. p. 24 sub fin. Damasus, de quo agitur, urbis Rom. episc. sive summus pontifex fuit.

episcopus (cf. etiam epist. 13 et 51) et epist. 16 (16, pag. 859 B Mig.) Ambrosius episcopus Anysio fratri (huc pertinent etiam epist. 17; 27—32). Symmachus in litteris sollemnibus ad Augustos missis sive relationibus, quae vocantur (lib. X), nomina illorum suo praeposuit; veluti 10, 22 (Seeck) Domino Valentiniano semper Augusto Symmachus V. C. Praef. Urb. Cf. etiam 10, 2; 3; 4; 7—10; 12—15. Idem in privatis epistulis nomen suum praeposuit; exempli gratia 2, 1 Symmachus Flaviano fratri¹⁾. Huc referendi sunt etiam tituli epist. 1, 14—31; 33—48. Augustini exempla haec respicias: epist. 52 (33, p. 194 Mig.) Domino multum desiderabili et valde²⁾ charissimo fratri Severino Augustinus. Persimiles titulos exhibent epist. 31; 36; 41; 42; 45; 47; 53; 54; al. Contra conferas epist. 130 (pag. 494) Augustinus episc. servus Christi servorumque Christi religiosae famulae Dei Probae in Domino Dominorum salutem. Cf. etiam epist. 105; 217; 231. Apollinaris Sidonius, quem verbosas aetatis suae formulas sprevisse supra commemoravi, exemplum Plinii secutus praeter aequalium consuetudinem nomen suum semper, ni fallor, praeposuit. Duo exempla sufficiant: 3, 5 (Luetioh.) Sidonius Hypatio suo salutem. 6, 1 Sidonius domino papae Lupo salutem. Jam vero Leonis M. haec exempla ponam: epist. 29 (Migne, 54) Caesari Theodosio, religiosissimo et piissimo³⁾ Augusto Leo papa Ecclesiae catholicae urbis Romae. Contra conferas epist. 7 Leo universis episcopis per Italiae provincias constitutis in Domino salutem. Idem discrimen est inter hos Ennodii locos: 4, 1 (Vogel) Symmacho papae Ennodius (huc etiam pertinent 2, 23; 24; 3, 1; 3; 17;

1) Hanc inscriptionem Seeckius recte emendavit, cum „sal.“ delevit.

2) De adverbis „multum“ et „valde“ superlativo additis disputavit J. N. Ott in commentatione, quae inscribitur: Doppelgradation des lateinischen Adjektivs, in *annal. philol.* tom. CXI pag. 792. Cf. etiam Woelfflin. *Archiv.* I pag. 101.

3) Sic scribebatur ad principes. Cf. *Librum diurnum Romanorum pontificum* (ed. Sickel) pag. 1.

4, 3; 22) et 1, 1 Ennodius Johanni (huc etiam referendi sunt tituli epist. 1, 2; 18—26; 2, 2—13).

Hanc exemplorum enumerationem ut concludamus eiusque ducamus summam, ex Frontonis temporibus asseveraverim dignitates eorum, inter quos epistulae commutantur, nominum collocatione insigniter distingui atque Frontonem in genere dicendi epistolico novatorem quodam modo esse appellandum.

C. De praenominibus, nominibus, cognominibus, dignitatibus, epithetis ascriptis.

In gravi ac severo litterarum genere praenomina, cognomina dignitatesque ascripta invenimus. Quem ad usum conferantur ex multis locis: Cic. ep. ad fam. II 17 M. Cicero imp. s. d. Cn. Sallustio proquaest. Huc pertinent etiam ad fam. XV 11—14. Interdum, inprimis in litteris publicis patrum quoque nomina, nonnunquam etiam avorum ascripta sunt. Atque primum quidem afferam exempla, ubi patrum nomina addita sunt: Cic. ep. ad fam. XII 15 P. Lentulus P. f. proqu. propr. s. d. coss. pr. tr. pl. senatui populo plebique Romanae. (Huic titulo sollemni si comparaveris inscriptionem epistulae ab eodem Ciceroni missae: Lentulus Ciceroni suo s. p. d. [ep. ad fam. XII 14], quantum discrimen sit inter publicas et privatas litteras, facile intelleges.) Cf. etiam ad fam. XV 1 et 2. Jam vero avi nomen positum est hoc loco: Cic. ep. ad fam. II 19 M. Tullius M. f. M. n. Cicero imp. s. d. C. Caelio L. f. C. n. Caldo quaest.

A litteris, quas commemoravi, sollemniter scriptis valde differunt epistulae familiares vel privatae; harum enim inscriptiones non tria illa nomina, quae homini vere Romano attribuuntur, sed plerumque unum exhibent¹⁾. Cicero quidem

1) Luculentissimo documento est hic Ciceronis locus: Ad fam. VII 32, 1 Quod sine praenomine familiariter, ut debebas, ad me epistulam misisti, e. q. s. At contra inscriptionem „Antonius Hirtio et Caesari“ vehementer ab humanitate abhorrere docet Cic. Phil. XIII 22.

in epistulis ad Quintum fratrem praenomen solum ponit, velut ad Qu. fr. I 1 Marcus Quinto fratri sal. Alia eiusmodi exempla Ciceroniana legas ibid. I 2—4; II 1—15; III 1—9.

Jam vero idem Cicero in epistulis ad Terentiam uxorem et Tironem nomen gentile solum usurpavit. Exempla sunt: ad fam. XIV 1 Tullius Terentiae suae, Tulliolae suae, Ciceroni suo salutem dicit (cf. etiam XIV 2—24.). Ad fam. XVI 10 Tullius Tironi sal. (eundem titulum praeferunt ep. XVI 12—15; 17—20; 22; 24.). Denique in epistulis ad amicos Cicero cognomen solum posuit, veluti Cic. ad Attic. I 1 Cicero Attico sal. (sic in omnibus epistulis Attico inscriptis.). Huc referendi sunt harum epistularum familiariter scriptarum tituli: Cic. ep. ad fam. IX 1—8 (ep. ad Varronem); IX 15—26 (ep. ad Paetum); XIII 18—28 b (ep. ad Servium Sulpicium).

Ab II post Chr. n. saeculo turgidae ac verbosae leguntur salutandi formulae; nominibus enim eorum, quibus inscribuntur epistolae, saepe vocabula „dominus“, „pater“, „frater“, „filius“ et epitheta, ut „amplissimus“¹⁾, „amantissimus“, „dilectissimus“, „beatissimus“, „piissimus“, „carissimus“, „desiderantissimus“²⁾, „reverendissimus“ adduntur. Excipiendi sunt Symmachus, Apollinaris Sidonius Ennodiusque, qui praeter aequalium consuetudinem breves salutandi formulas adhibuerunt. Atque ut eo planius intellegere possitis, quod disputo, rem ipsam exemplis quibusdam illustrioribus demonstrabo:

Fronto pag. 35 (N.) Amplissimo consuli magistro suo M. Caesar salutem. Script. hist. aug. 29, 5, 3 (Peter) Amantissimo sui populo Romano Aurelianus Augustus salutem dicit; conf. etiam 30, 6, 2. Hieron. epist. 19 (22, pag. 375 Migne) Di-

1) Superlativus gradus pro positivo tum vel maxime usurpabatur, cum quis laudabatur aut vituperabatur. Cf. Koffmane, l. l. pag. 118.

2) Haec vox vim passivi habet et pro „desideratissimo“ posita est. Extat apud Fronton. pag. 17 v. 12; pag. 30 v. 8; pag. 88 v. 11; pag. 132 v. 21. Post Frontonis aetatem haud raro invenitur. Cf. Koffm. l. l. p. 119; Neue, Formenlehre d. lat. Sprache II p. 119.

lectissimo¹⁾ filio Hieronymo Damasus episcopus in Domino salutem; cf. etiam epist. 56 (pag. 565); Migne 16, epist. 13, pag. 950 A. Contra conferas has breves inscriptiones: Symm. 3, 30 (Seeck) Symmachus Ambrosio; Apoll. Sid. 6, 1 (Luetioh.) Sidonius domino papae Lupo salutem; Ennod. 4, 8 (Vogel) Ennodius Symmacho papae.

Sed ad verbosos illos epistularum titulos revertamur!

Augustin. epist. 52 (Migne, 33, pag. 194) Domino multum²⁾ desiderabili et valde carissimo fratri Severino Augustinus. Salvian. ep. 8 (Halm) Domino et dulci suo Eucherio episcopo Salvianus; epist. 9 Domino ac beatissimo discipulo, patri, filio, per institutionem discipulo, per amorem filio, per honorem patri, Salonio episcopo Salvianus. Gelasius epist. 3 (Migne, 59, p. 23 A) Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis³⁾ Gelasius episcopus. Alc. Avit. epist. 22 (Peiper) Avitus Viennensis episcopus domno⁴⁾ Gundobado regi. Paulin. Nol. epist. 18 (Migne, 61) Beatissimo⁵⁾ semper et venerabili patri Victricio Paulinus.

His exemplis collatis cognosci potest, epistularum titulos aurea et argentea litterarum aetate breves ac simplices fuisse, a Frontonis vero temporibus sensim latiores ac verbosiores factos esse.

Satis multa de nominibus, dignitatibus epithetisque ascriptis; restat, ut de pronomibus possessivis exponam.

1) Cf. Draeger, *histor. Synt. d. latein. Spr.* I pag. 29; Koffm. I. I. pag. 120.

2) De adverbio „multum“ adiectivis addito cf. O. Rebling, I. I. p. 11.

3) Hoc verbum positum est pro deficiente participio verbi „sum“; saepe invenitur apud scriptores christianos. Cf. Koffmane, I. I. pag. 125.

4) De brevibus vocalibus elisis conf. Koffmane, I. I. pag. 110; G. Gröber i. *Woelffl. Archiv.* II pag. 103.

5) De hoc adiectivo conf. Koffmane, I. I. pag. 118 s.

D. De pronominum possessivorum in epistularum inscriptionibus usu.

Mos inscriptionibus epistularum eum, ad quem eae mitterentur, „suum“ appellandi Ciceronis aetate coepisse¹⁾ videtur. Maiorem autem vim aurea litterarum aetate pronomini „suus“ tribuendam esse quam nostro „seinem“ equidem crediderim. Cuius vis ac potestas hoc exemplo luculentissime illustratur: Cic. epist. ad fam. XVI 18, 1 Quid igitur? non sic oportet? equidem censeo sic; addendum etiam „suo“ (Ciceronis ad Tironem epist.). Quod cum ita sit, hoc pronomem epistularum inscriptionibus²⁾ additum ad eorum, qui epistularum inter se communicatione utuntur, necessitudinem ac familiaritatem accuratius significandam plurimum valet. Atque Cicero quidem eo usus est in epistulis ad Terentiam uxorem (epist. ad fam. lib. XIV) et Tironem (epist. ad fam. lib. XVI). Ex iis, qui ad Ciceronem epistulas miserunt, hi „suo“ addiderunt: Curius (ep. ad fam. VII 29), Hirtius (ad Attic. XV 6, 2), Lentulus (ep. ad fam. XII 14), Vatinius³⁾ (ep. ad fam. V 9 et 10).

Inspiciamus nunc duos poëtarum locos:

Propert. 5, 3 (Müller):

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum totiens absis, si potes esse meus.

Hoc exemplum ob eam causam est notabile, quod poëta ludit in pronomibus „suus“ et „meus“. Idem cadit in hunc Ovidii locum:

1) Cf. Brisson. de formul. et sollemn. pop. Rom. verbis, pag. 741.

2) Pron. poss. eadem vi positum est in allocutionibus textui insertis; veluti ad Att. IX 6, 5 mi Tite; ad fam. VII 20, 2 mi Trebati. Idem cadit in eos locos, quibus alicuius mentio fit; cuius rei unum, sed quod sufficiat exemplum proponam: Balbus apud Cic. ad Att. VIII 15 A, 2 Quod Lentulum meum voluisti hic remanere e. q. s. Pron. „meum“ hoc loco in nostram linguam transferas „meinen Freund“.

3) Vatinius „suo“ addidisse nobis mirandum est. Cf. A. Köhler, über die Sprache der Briefe d. P. Corn. Lentulus Spinther. Progr. des alt. Gymn. zu Nürnberg (1890), pag. 11 not.

Pont. 1, 3, 1 s.:

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem:

Qui miser est, ulli si suus esse potest.

Post auream litterarum aetatem pron. possess. vim imminutam esse luculentissime comprobatur hoc Martialis loco:

XIV, 11 (Gilbert):

Seu leviter noto seu caro missa sodali,

Omnes ista solet charta¹⁾ vocare suos.

Ac Plinio min. quidem in usu fuit, omnes, ad quos litteras dedit, „suos“²⁾ appellare. Apud unum Frontonem, qui se Ciceronem imitatum esse ipse fatetur, pron. poss. eandem ac Ciceronis aetate vim habere mihi videtur. Id ex eo, opinor, concludendum est, quod Fronto in inscriptionibus earum epistularum, quas ad amicos misit, nunquam „suo“ addit, cum Caesares in litteris Frontoni inscriptis pron. poss. usurpent. Conferantur ex multis locis: pag. 172 (Nab.) Fronto Cl. Severo salutem; pag. 179 Fronto Passieno Rufo salutem; pag. 3 M. Caesar Imperator Frontoni magistro meo; pag. 37 M. Caesar magistro suo salutem dicit. Cf. etiam pag. 56, 9, 36, 71.

Jam pergo enumerare locos, ubi pronomini „suo“ non eadem, quae Ciceronis aetate vis inesse videtur: Script. hist. aug. 30, 6, 2 (Peter) Probus Augustus amantissimo³⁾ senatui suo salutem dicit. Superlativus „amantissimo“ additus documento est, pronomini „suo“ non iam eandem quam Ciceronis aetate vim esse tribuendam. Idem cadit in Salvian. epist. 8 (Halm) Domino et dulci suo Eucherio episcopo Salvianus, ubi scriptor, ut pronominis vim auget, adiectivum „dulci“ praeponit. Apoll. Sidon., ut locos afferre pergam, exemplum

1) Conf. ea, quae de chartarum maiorum et epistularum discrimine exposita sunt apud Birt., daß antike Buchwesen, pag. 62. De scriptura „carta“ conf. Georges i. Woelffl. Archiv. I 272.

2) Epist. 1, 4 (Keil) „suae“ excidisse pro certo habeo.

3) Participium praesentis temporis passive usurpatum est et idem valet, quod „amatissimo“. Conf. Koffmane, l. l. pag. 119 sub fin. et hui. diss. pag. 18 not. 2.

Plinii min. secutus in omnibus epistulis praeter eas, quas ad papas¹⁾ et abbates misit, „suo“ ascripsit; inde plane elucet, illis temporibus pronomini poss. pristinam vim non iam in-fuisse.

Duo exempla ponam: 3, 5 (Luetiohann) Sidonius Hypatio suo salutem; 7, 16 Sidonius Chariobaudo abbati salutem.

Posthac „suo“ et „meo“ in epistularum inscriptionibus nisi cum vocabulo „Domino“ coniuncta raro inveniuntur. Quod cum plurimis exemplis liceat illustrare, duo afferam. Ennod. 3, 3 (Vogel) Domino suo Fausto Ennodius. Leo M. epist. 55 (Migne, 54) Domino meo Theodosio gloriosissimo victori et triumphatori, perpetuo imperatori et patri, Valentinianus gloriosus, victor ac triumphator semper Augustus et filius.

Quoniam de salutandi formulis quaestio absoluta est, iam progrediar ad alteram dissertationis meae partem, qua investigetur, quibusnam prooemiis veteres uti sint.

1) De vocis „papa“ significatione cf. hui. diss. pag. 15 not. 1.

Pars altera.

De epistularum prooemiis.

Aurea, quae vocatur, litterarum aetate epistularum nonnullarum inscriptionibus vel titulis continuantur verba sollemnia¹⁾: „Si vales, bene²⁾ est“³⁾, quibus saepe ascriptum est „ego quidem valeo“ vel „ego valeo“. Per notas scriptum: S. v. b. e. e. q. v. „Bene est“ nonnunquam omissum est, velut Cic. ep. ad fam. XIV 5, 1 Si tu et Tullia, lux nostra, valetis, ego et suavissimus Cicero valemus. Cf. etiam XIV 14, 1.

1) Hoc recte me monere luculentissime probatur hisce locis: Senec. epist. 15, 1 (Haase) mos antiquis fuit usque ad meam servatus aetatem, primis epistulae verbis adicere: „Si vales, bene est; ego valeo“; Plin. epist. 1, 11 (Keil) illud, unde incipere priores solebant: „Si vales, bene est; ego valeo“; Symm. 7, 92 (Seeck) officii mei est nuntiare, quod valeam, voti, ut te salvere cognoscam; ibid. 5, 1 recte valeo; hoc enim scribendi debet esse principium e. q. s.

2) De huius locutionis usu cf. Krause, *stilistische Bemerkungen aus Cicero's Briefen*. Progr. Hohenstein (1869) pag. 21.

3) De scriptura „benest“ satis est relegasse ad Hellmuth, über die Sprache der Epistolographen S. Sulpicius Galba und L. Cornel. Balbus. Progr. d. alt Gymn. zu Würzburg (1888) pag. 55. Cf. etiam Schmalz, über den Sprachgebrauch der nichtciceronischen Briefe, in d. Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen (herausgegeben v. Kern u. Müller), XXXV. Jahrgang, neue Folge (1881) S. 132; Süpfle-Boeckel, *M. Tullii Ciceronis epist. select.* Karlsruhe. 1885, prooem. pag. 42 not.

Quod prooemium cum non omnes epistulae Ciceronianae exhibeant, nobis videndum est, quaenam usus ratio valeat.

Atque invenitur haec formula praecipue in litteris ad Ciceronem datis (velut ep. ad fam. XI 3, 1; XII 16, 1; XV 19, 1; ad Att. IX B, 1), cum Cicero ipse nisi ad aliorum litteras respondens aut in litteris publicis (velut ep. ad fam. XV 1, 1; 2, 1) et sollemniter scriptis (exempli gratia ep. ad fam. XIII 6a, 1) ea usus non sit. Itaque eam in epistulis ad Atticum et Tironem familiarissimos missis nunquam usurpavit. Quod in quibusdam epistulis Terentiae uxori inscriptis (ep. ad fam. XIV 11; 16; 17; 21—24) illud prooemium adhibuit, ei brevi ante divortium consulto, ut suspicor, sollemniter scripsit, ut quam amoris dulcedinem animo non habebat, eam verbis formulisque simularet.

Litterae, quas belli duces¹⁾ ad senatum populumque Romanum miserunt, incipiunt: Si vos liberique vestri valetis, bene est, ego valeo. Per notas scriptum: S. v. l. q. v. v. b. e. e. v. Veluti ep. ad fam. XII 15, 1 (publicae litterae Lentuli); X 35, 1 (publ. litt. Lepidi); Migne, Patrol. lat. 63, pag. 385 B Si vos liberique vestri valetis, bene est: ego exercitusque meus valemus (Imperat. Caesaris Flavii Anastasii litterae anno 516 ad senatum missae).

Litterae et ad belli duces et belli ducum ad exterarum nationes²⁾ sic incipiunt: Si tu exercitusque valetis, bene est; per notas scriptum: S. t. e. q. v. b. e. Exempli gratia Cic. ep. ad fam. V 2, 1 Si tu exercitusque valetis, bene est (Ciceronis ad Metellum Celerem procons. epist.). Cf. etiam ep. ad fam. V 7, 1 (Ciceronis ad Pompeium litterae).

Interdum pro „bene est“ reperitur „gaudeo“. Hac formula, quae ante auream litterarum aetatem in usu fuit (cf. Plaut. Pers. IV 3, 33), Cicero abstinuit. Usus est ea Dolabella, qui obsoletis vocabulis valde delectabatur (Cic. ep. ad fam. IX

1) Cf. Brisson. l. l. pag. 741.

2) Cf. Brisson. l. l. pag. 741.

9, 1 S. v. g. v. et Tullia nostra recte v. Terentia minus belle¹⁾ habuit, e. q. s.), Cn. Pompeius (bell. Hisp. 26, 3), Seneca (ep. 2, 8, 1).

Priusquam de prooemiis Ciceroniana aetate adhibitis disserere desinam, hoc exemplum commemorare libet: Brut. in Cic. ep. ad fam. XI 23, 1 Nos hic valemus recte²⁾ et, quo melius valeamus, operam dabimus. Quocum conferas Plaut. Pers. IV 3, 33: Si valetis, gaudeo. Ego valeo recte.

Pergamus iam ad ea proemia, quae post aetatem Ciceronianam adhibita sunt. Sunt igitur fere haec: Plin. epist. 5, 18 (Keil) Bene est mihi³⁾, quia tibi bene est; Fronto pag. 68 (N.) Nos valemus; Symm. 7, 37 (Seeck) Voluptati mihi est, quod vales; ibid. 9, 52 Me ex sententia valere significo; 9, 116 Valeo quantum sinit aeger animus. Ab usitata consuetudine remotum est, quod in litteris a senatu Romano ad curiam Carthag. datis invenitur (script. hist. aug. 27, 18, 2 Peter): Quod bonum, faustum, felix salutareque⁴⁾ sit reip. orbique Rom. Unicum profecto hoc exemplum est neque usquam similem usum repperi.

Denique non omittendum est aevi Caroli Magni prooemium, quod similitudinem quandam prae se fert cum veteribus. Est autem hoc:

Alcuin. epist. 1 (Dümmler) Gaudeo de salute et prosperitate vestra; cf. ibid. ep. 9 De vestra valde gaudeo prosperitate.

Pertractavi fere, quantum potui, epistularum proemia: nunc, ut erat propositum, dicatur de valedicendi formulis.

1) De locutione „belle habere“ cf. Krause, l. l. pag. 22.

2) „recte“ = „bene“; cf. Cato r. r. 44 recte ferax ager; Plaut. Amph. II, 1, 34; Woelffl., lateinische und romanische Comparison, pag. 28.

3) De huius phrasibus usu conf. Krebs-Schmalz, Antibarbar. d. lat. Spr., pag. 213.

4) De vetere formula „quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit“ per annos commutata egregie disseruit E. Woelfflin, über die allitt. Verbind. d. lat. Spr. in d. Sitzungsber. d. k. b. Ak. d. W. zu München (1881) tom. II, pag. 36. Conf. etiam pag. 27.

Pars tertia.

De valedicendi formulis.

Veteres privatas¹⁾ epistulas praeter nostram consuetudinem non salutandi formula clauderant, sed in fine optabant, ut ii, ad quos eae mittebantur, valerent. Quem usum constantem fuisse, documento sunt hi loci: Ovid. Heroid. 19, 241 s. (Merkel):

Longior infirmum ne lasset epistula corpus,

Clausaque consueto sit tibi fine, vale!

Trist. 5, 13, 33 s. (Merkel):

Accipe quo semper finitur epistula verbo,

Atque meis distent ut tua fata, vale!

Atque brevissima eademque creberrima formula est vale, quae in usu et solutae orationis scriptorum et poetarum tantopere inter sui similes obtinet principatum, ut sua frequentia illarum memoriam quodam modo obscuraverit. Cuius summam abundantiam invenimus apud Ciceronem, qui ea in epistulis ad Atticum amicum missis creberrime usus est. Sic clauduntur Senecae et Plinii min. (exceptis litteris publicis libri X) epistulae fictae. Item Symmachus, qui Plinii vestigiis ingressus est, verbosis aetatis suae formulis spretis saepissime „vale“ usurpavit. Loci sunt: Symm. 1, 1; 5; 6;

1) Publicae litterae valedicendi formula carent. Quem ad usum conferantur: Cic. ep. ad fam. XV 1; 2; XII 15; Plin. lib. X; Symm. lib. X.

7 (Seeck). Nec raro haec formula apud Ausonium et Ambrosium invenitur, velut Auson. epist. 17 et 21 (Schenkl), Ambros. epist. 27 et 79 (Migne, 16). Denique conferas Monum. Mog. epist. 30 (Jaffé).

Praeteriens commemoro, in scriptorum christianorum epistulis inveniri

vale in Christo. Exempla sunt: Ennod. 6, 36 (Vog.). Monum. Mog. 3, epist. 5; 86; 88; al. (Jaffé).

Inspiciamus nunc aliquot exempla e poetis petita: Ovid. Trist. 3, 3, 87 s.:

Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,

Quod, tibi qui mittit, non habet ipse, vale.

Poëta hoc loco in verbo valendi ludit; quocum compares: Auson. epist. 3, 19 (Schenkl) vale bene, ut valeam; 14, 36 Vale. Valere si voles me, iam veni; 15, 37 Vale. Valere si voles me, pervola¹⁾. Ausonius ut Ovidius in verbo valendi ludit. Sunt enim talia admodum in deliciis scriptoribus. Cf. etiam Cic. ep. ad fam. XIV 18, 2 maxime autem date operam, ut valeatis, si nos vultis valere.

His adde: Stat. silv. 4, 4, 101 (Baehrens) Jamque vale e. q. s. Claudian. epist. 2 (Jeep):

Dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni,

Nec tibi dedecori musa futura. Vale.

Alcuin. epist. 1 (Dümmler):

Vive Deo carus multis feliciter annis

Atque memor nostri, dulcis amice, vale.

Cf. etiam epist. 6; 41; 54; 59; 77; 105; al.

Nonnunquam verbum valendi iteratur, velut Cic. ep. ad fam. XIV 2, 4 valete, mea desideria, valete²⁾.

1) Hi loci omnes conspicui sunt allitteratione, quæ Ausonius mirum quantum delectatur. Conf. Woelffl. l. l. pag. 32 et 33. Koffmane l. l. pag. 15 extr.

2) Cf. Woelffl., die Geminatio im Lat. in d. Sitz.-Ber. d. philol.-philol. u. histor. Classe der f. b. Ak. d. W. zu München (1882) tom. I, pag. 434 s.

Ibid. XVI 4, 4^o vale, mi Tiro, vale, vale et salve. Quocum conferas Cic. ep. ad fam. XVI 9, 4 vale, salve¹⁾. Formula „salve“, quae in prisca latinitate (apud Plautum) haud raro invenitur, Ciceronis temporibus iam obsoleta erat. Posterioribus temporibus rursus occurrit apud Symm. 2, 86 (Seeck) et Ennod. 2, 2 (Vogel).

Priusquam alias afferam formulas, liceat mihi paucis disserere de allocutionibus valedicendi formulis additis, quales exhibent Ciceronis quos modo commemoravi loci.

Allocutiones valedicendi formulis additae plurimum valent ad indicandam necessitudinem ac familiaritatem. Quod cum ita sit, frequentes sunt in Ciceronis epistulis Terentiae uxori (ep. ad fam. XIV 2, 4; 3, 5; 4, 6; 5, 2)²⁾, Quinto fratri (ad Q. fr. II 3, 7; 4, 7; 5, 7; 6, 2; III 1, 25; 4, 6; 7, 2; 8, 6; 9, 9), Tironi (ep. ad fam. XVI 3, 2; 4, 4; 7; 9, 4; 22, 2) inscriptis. Hunc usum Fronto et qui post eum fuerunt scriptores imitati sunt et magnopere dilexerunt. Atque ille quidem omnibus fere valedicendi formulis allocutiones addidit et ex omnibus scriptoribus latinis nullus est tantus eius usus amator. Ex innumeris exemplis pauca ponam:

Fronto pag. 13 (Naber) vale, meum gaudium, vale; p. 32 vale, Caesar, decus patriae et romani nominis. Vale, domine; pag. 48 vale, domine dulcissime. Cyprian. epist. 49 (Hartel) bene vale, frater carissime. Ambros. epist. 27 (Migne, 16) vale, fili, e. q. s. Hieronym. epist. 105 (Migne, 22) vale, mi amice carissime Salvian. epist. 8 (Halm) vale, mi domine et dulcis meus. Augustin. epist. 72 (Migne, 33) vale, mi amice charissime

1) Sic extat in cod. M. Wesenbergius optima codicis lectione spreta post vocabulum „vale“ particulam copulativam „et“ interposuit. Ego censo, ad codicis lectionem redeundum esse, quippe cum Cicero in epistulis binas voces, quae idem vel simile sonant, haud raro ἀσυνδέτως posuerit.

2) Prioribus tantummodo ad Terentiam epistulis Cicero allocutiones inseruit; breviores enim ac sollemniores sensim fiunt eius epistulae brevi ante divortium scriptae. Cf. hui. dissert. pag. 24.

Jam transeo ad eos locos, ubi valedicendi formulis vocabula quaedam addita sunt.

Ac primum quidem imperativo „vale“ haud raro adverbium „bene“ praepositum est. Formula

bene vale aetate Ciceroniana iam exoleta fuit. Nam Cicero quidem ea plane abstinuit, eorum autem, qui ad illum litteras dederunt, duo usi sunt: Curius in Cic. epist. ad fam. VII 29, 2 et Matius ibid. XI 28, 8. Quam formulam ante auream litterarum aetatem et post eam frequentem fuisse ex hisce locis intellegitur:

Plaut. Asin. III, 3, 16 = 606 (Ritschl) et Mil. IV, 8, 29 = 1339 (R.); Pseudo-Senec. epist. 4 et 8 (Haase); Fronto pag. 94 et 163 (Naber); Flor. 2, 20, 7 (Halm); Cypr. epist. 49 et saepe (Hartel); Auson. epist. 16 (Schenkl); Ambros. epist. 2; 5; 6; 8; saepe (Migne, 16); Augustin. epist. 128, 4 (Migne, 33); 181, 9; 182, 7; 219, 3; Monum. Mogunt. 3, 12 (Jaffé); Alcuin. epist. 280 (Dümmler).

Ex his exemplis plane elucet, locutionem „bene valere“ ut multas alias¹⁾ in prisca latinitate in usu fuisse, aurea litt. aetate admodum raro apparuisse, postea rursus creberrimam factam esse.

Venio ad formulam

semper vale, quae iam apud Plautum invenitur. Postea non prius occurrit quam in epistulis Frontonis, cui priscorum poetarum maxime Plautum probatum esse constat. Unum attulisse sufficit exemplum: pag. 67 (Naber) semper vale. Posterioribus temporibus vocabulum „semper“ verbo valendi haud raro praepositum invenitur. Loci sunt: Cyprian. epist. 1 et 10 (Hartel); Alcuin. epist. 183 (Dümmler).

Hoc loco inserere libet formulam

vale mi²⁾ semper, quae extat apud Frontonem pag. 30 (Naber).

1) Cf. O. Rebling, l. l. pag. 10.

2) De hac synaeresi conf. hui. diss. pag. 13, not. 4.

Pergamus iam ad eos locos, quibus imperativo „vale“ locutio „etiam atque etiam“¹⁾ praeposita est.

Atque extat „etiam atque etiam“ iam apud Plaut. Aulul. IV, 2, 7 = 614 (R.); Trin. III, 2, 48 = 674 (R.). Alios locos huc pertinentes attulit E. Woelfflin in commentatione, quae inscribitur: „Die Geminatio im Lat.“ pag. 468 s. Cicero, quem in epistulis multa ab antiquioribus poetis mutuatum esse satis constat, usurpavit formulam

etiam atque etiam vale praecipue in epistulis ad familiarissimos (ad Tironem: ep. ad fam. XVI 5, 2; 6, 2; 7; 9, 4; 11, 3; 14, 2; ad Attic. V 19, 2; 20, 9; ad Paetum: epist. ad fam. IX 24, 4).

Uno loco (ad Quint. fr. III 1, 7) invenitur formula
te oro etiam atque etiam, ut valeas.

Hic inserere libet formulam Frontonianam (pag. 94 N.) iterum atque iterum²⁾ ac porro in longam senectutem bene vale.

Transeo nunc ad eos locos, ubi modus indicativus futuri temporis aut coniunctivus praes. temp. imperativi vice fungitur.

Atque frequentior est indicativus futuri temporis; extat enim hisce locis:

Cic. ep. ad fam. XV 18, 2 valebis igitur ... e. q. s.; cf. etiam ad Attic. VI 2, 10; 5, 4; Stat. silv. 4, 9, 53 (Baehrens) irascor tibi, Grype. Sed valebis ... e. q. s.; Fronto, pag. 69 et 70 (N.) valebis mihi.

Multo rarius invenitur coniunctivus praes. temp. valeas. Loci sunt: Fronto, pag. 61 (N.) et Alcuin. ep. 183 (D.).

Pergamus iam ad explicandos eos locos, quibus „valere“ ex verbis quibusdam pendet. In primis Cicero hunc in modum variavit valedicendi formulas.

1) Cf. Woelfflin., die Geminatio im Lat., pag. 468 s.

2) De eorundem vocabulorum repetitione conf. Woelfflin., die Gem. i. Lat. pag. 466 et 480.

Sunt autem hae:

fac valeas. Quam formulam usurpaverunt Balbus (apud Cic. ad Attic. IX 7 B, 3), Cassius (apud Cic. ep. ad fam. XII 12, 5), Plancus (apud Cic. ep. ad fam. X 4, 4; 7, 2; 21, 6). Cicero ea praeter unum locum (ep. ad fam. XIV 1, 6; ad Terentiam uxorem) abstinuit. Idem imperativum „fac“ aliis verbis sequentibus haud raro cum nudo coniunctivo coniungit. Haec constructio in prisca, quae vocatur, latinitate et in sermone cotidiano¹⁾ creberrima fuit²⁾. Deinde afferatur

fac ut valeas. Haec formula tribus tantum locis invenitur: Cic. ad fam. XVI 2; 10, 2 (Ciceronis ad Tironem epist.); ad Quint. fr. II 5, 4.

Multo frequentior est apud Ciceronem formula

cura, ut valeas. Conferantur ex multis locis:

Cic. ep. ad fam. VII 6, 2; 15, 2; 18, 3; 20, 3. Rursum occurrit haec formula apud Symm. 2, 7 (Seeck).

Denique verbum valendi coniunctum est cum imperativo „da operam“. Formula

da operam, ut valeas Cicero multo rarius usus est quam „cura, ut valeas“. Extat enim his tantummodo locis: Cic. ep. ad fam. XI 29, 3; XII 1, 2; 21; 23, 4; XIV 19; ad Attic. XVI 16 A, 7.

De locutione „oro, ut valeas“ supra (pag. 30) mentio facta est.

A tertio post Christ. nat. saeculo frequentes sunt eae formulae, ubi verbum valendi pendet ex verbis „opto“, „oro“, „cupio“, „precor“, „desidero“. Quae admodum latae et turgidae sunt, quod praeter allocutiones verbosas saepe locutiones „in Domino“ et „in Christo“ additae sunt.

1) Cf. Hellmuth, l. l. pag. 48.

2) Quatenus apud scriptores hic usus extet, docet Draegerus, *Histor. Syntax d. lat. Sprache I*, pag. 300.

Quem usum his exemplis illustrabo:

Cyprian. epist. 1 (Hartel) opto¹⁾, vós, fratres carissimi, semper bene valere; epist. 10 opto vos, fortissimi ac beatissimi fratres, semper in Domino bene valere et nostri meminisse²⁾. Quo referas, quamvis structura abhorreat, formulam „opto ut valeatis in Domino“ Cypr. ep. 51 (Hartel). Hieron. epist. 51, 9 (Migne, 22, pag. 527) oramus³⁾ te, frater carissime, multis annis bene valere; ibid. epist. 5, 3 (Migne, 22, pag. 337) cupio te valere in Christo. Leo M. epist. 133 (Migne, 54) valere te et nostri meminisse, domine, precor. Monum. Mogunt. 3, 75 (Jaffé) bene valere te desidero . . . e. q. s.

Transeo nunc ad eos locos, quibus is, qui scribit epistulam, orat, ut amicitia mutua permaneat.

Tales formulae sunt:

Fac valeas meque mutuo diligas. Hac valedicendi formula Plancus mirum quantum delectatur; utitur enim ea hisce locis: Cic. epist. ad fam. X 4, 4; 7, 2; 11, 3; 15, 4; 17, 3; 21, 6.

Tu me diliges et valebis Cic. ep. ad fam. IX 22, 5 (Cicero ad Paetum).

Valebis igitur meque, ut a puero fecisti, amabis Cic. ep. ad fam. XV 18, 2 (Cicero ad Cassium).

1) Verbo optandi accusativus qui vocatur cum infinitivo coniunctus additur; haec constructio cum ab optimis prosae orationis scriptoribus spreta sit, sermonis vulgaris esse videtur. Operae pretium est afferre locos, ubi invenitur: Ovid. Pont. 3, 1, 38. 3, 3, 105; Pseudo-Senec. epist. 2; 4; 12 (Haase); Cassiodor. hist. trip. cap. XXIX (Migne, 69, pag. 979 B); Monum. Mogunt. 3, epist. 31 et 32 (Jaffé).

2) Locutio „nostri meminisse“ in christianorum scriptorum epistulis haud raro invenitur. Cf. Leo M. epist. 133 (Migne, 54); Monum. Mog. 3, epist. 15 (Jaffé).

3) Hoc loco verbum orandi Germanico „beten“ respondet. Cf. Meißig, *Berl. über lat. Sprachwissenschaft*, tom. II (ed. Heerdegen, Berol. 1888—90), pag. 71 not. et pag. 133.

De significatione verbi „orare“ per annos commutata cf. Ph. Thielmann i. Woelfflin. *Archiv.* I, pag. 71; *Jahrb. f. kl. Philologie* (ed. Fleck-eisen) 18 *Suppl.-Bd.* 1. Heft (1891) pag. 95 s.

Ama nos et vale Cic. ep. ad fam. XVI 8, 2 (Q. Ciceronis ad Tironem epistula).

Vale meque, ut facis, ama Cic. ep. ad fam. V 21, 5 (Ciceronis ad Mescinium epistula). Cf. etiam ibid. XV 19, 4 (C. Cassii ad Ciceronem epistula); Front. pag. 43 (Naber) Vale, Caesar, et me, ut facis¹⁾, ama plurimum; script. hist. aug. 12, 4, 6 fac, ut rem publicam et te et nos, ut facis, diligas; Ambros.²⁾ epist. 2, 31 (Migne, 16) vale et nos dilige, ut facis. Cf. etiam epist. 5, 24; 6, 19; 8, 15. Similis a ratione grammatica locus invenitur apud Augustin. epist. 25, 5 (Migne, 33, pag. 103) gratia Dei tecum, ut est, in aeternum maneat. Aliqua ex parte conferri potest: Cic. ep. ad fam. XIII 47 tu fac, quod facis, ut me ames teque amari a me scias.

Venio ad formulas allitteratione conspicuas. Quarum frequentissima³⁾ sine dubio est

vive, vale, quam et prosae orationis scriptores et poëtae adhibuerunt. Sed optimi scriptores ea abstinerunt; itaque eam sermonis vulgaris fuisse veri simillimum est. Loci sunt:

Plaut. Trin. 1075 (R.); Stich. I 1, 31 (R.); Bach. II 3, 12 = 246 (R.); Mil. IV 8, 29 = 1339 (R.); Hor. epist. 1, 6, 67 vive, vale⁴⁾; ibid. sat. 2, 5, 110 vive valeque; Sulpiciae sat. 69 vive vale; Fronto pag. 43 (Naber) vale, Domine, et vive

1) Non dubito, quin Fronto hoc loco Ciceronem imitatus sit. Conf. Front. pag. 107 (N.) „Memini me excerpisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset . . . praeterea si quid eleganti aut verbo notabili dictum videretur, excerpsi . . . Epistulis Ciceronis nihil est perfectius.“

2) Ambrosium Ciceronis vestigia pressisse docet Max. Ihm, studia Ambros. in Fleckeiseni annal. philol. (1890) XVII, pag. 82 s.

3) Cf. Woelfflin., über d. allitt. Verbind. d. lat. Spr. pag. 15.

4) Apud poëtas veteres asyndeton binorum vocabulorum haud raro invenitur. De bimembri dissoluto egregie disseruit S. Preuss, de bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni, Edenkoben 1881; de „vive, vale“ cf. pag. 98.

... e. q. s.; Auson. epist. 20, 13 (Schenkl) vive, vale; Alcuin. epist. 65 vive et vale; epist. 74 vive, vale.

Multo rarior est formula
vince et vale¹⁾. Extat enim duobus tantum locis:

Cic. ep. ad fam. XI 25, 2 et X 26, 3.

Semel legitur:

vade, vale Hor. epist. 1, 13, 19.

Denique quae commemoretur digna videtur formula
valeas, vigeas, quae extat in Alcuin. epist. 183. Hoc
est novum allitterationis exemplum, christianorum temporibus
ortum²⁾. Verba „valere“ et „vigere“ iam aurea, quam vocant,
litterarum aetate coniuncta inveniuntur, velut Cic. fin. 5, 35
et Sall. Catil. 20, 10. — Cf. etiam Front. pag. 169 (N.).

Jam commemorare libet

haveto³⁾, quod extat apud Sall. Catil. 35, 6 (Jordan)⁴⁾, et
have dicere, quod invenitur apud Auson. 16, 105 (Schenkl)
haveque dicto dic vale et Symm. 2, 69 et 3, 72 have igitur
dico e. q. s.

Porro valedicendi formulae vice fungitur, quod est apud
Catullum, 68, 155 (Müller) sitis felices e. q. s. Conf.
Apul. met. II, 14; Augustin. ep. 138, 20. Cui formulae simil-
lima est haec:

Tibull. 3, 5, 31 vivite⁵⁾ felices, memores⁶⁾ et vivite
nostri.

1) Cf. Woelfflin., über d. allitt. Verb. d. lat. Spr. pag. 15.

2) De allitteratione apud scriptores christianos cf. Woelffl. l. l. p. 31.

3) De huius vocabuli scriptura cf. H. Schuchardt, der Vokalismus
des Vulgärlateins, I, pag. 56; Corssen, Aussprache, I, pag. 47 ss.; Fleck-
eisen, Fünzig Artikel, pag. 18.

4) Hanc epistulam genuinam esse demonstravit Schnorr v. Carols-
feld (l. l. pag. 25 ss.), cui adstipulor.

5) In prisca latinitate et apud Horatium verbum „vivendi“ cum ad-
iectivo coniunctum idem fere valet quod „esse“. Conf. Reisig, Vorlesungen
über latein. Sprachwissenschaft, tom. II (ed. Heerdegen) pag. 114 ss.

6) Locutiones „memor mei“ et „memor nostri“ praecipue eae vale-

Denique afferatur formula in christianorum scriptorum epistulis creberrima

Dominus te incolumem custodiat. Loco verbi „custodiat“ inveniuntur etiam „tueatur“ et „servet“.

Ex multis exemplis haec ponam :

Hieron. epist. 134 (Migne, 22) Incolumem te et mei memorem Christus Dominus custodiat e. q. s. Cf. etiam ep. 138; 141; 143. Augustin. epist. 31 et 107 (Migne, 33). Leo M. ep. 10; 20; 28 (54, Mig.). Gregor M. 1, 14 a (Ewald). Ambros. epist. 9, 2 (16, pag. 940 Mig.) Valete. Incolumes vos et florentissimos Deus noster tueatur e. q. s. Cf. etiam Augustin. epist. 35, 5 (33, pag. 136 Mig.); epist. 39, 2 (33, pag. 154 Mig.); epist. 56, 2 (33, pag. 224 Mig.). Augustin. ep. 201 Divinitas te per multos annos servet incolumem. Cf. etiam Gregor. M. 1, 16 b (Ewald).

Quarto post Christ. nat. saeculo mos salutandi inductus est sensimque increbuit. Loci sunt: Augustin. ep. 214 (Migne, 33) saluto vos e. q. s.; cf. etiam epist. 229. Leo M. epist. 68 (Migne, 54) Veranus cultor vestri apostolatus, beatitudinem vestram saluto, et ut pro me oretis peto. Ennod. 2, 3 (Vogel) Domina mihi, saluto et deprecor e. q. s.; ibid. 7, 24 salutans ergo affectione, qua debeo¹⁾, spero

dicendi formulae, quae a christianis scriptoribus adhibitae sunt, exhibent. „Memor mei“ invenitur ap. Augustin. ep. 39, 2 (33, p. 154 Mig.). „Memor nostri“ legitur hisce locis: Ov. Heroid. 11, 125; Apoll. Sid. 6, 1 (Lueti.); Augustin. ep. 29, 12 (33, pag. 120 Mig.); ep. 62, 2 (33, p. 230 Mig.); ep. 67, 3 (33, p. 237 Mig.); saepe.

1) Verbum debendi in quibusdam formulis usurpatur. „Ut debeo“ crebro invenitur apud Cic. (cf. Schmalz, l. l. pag. 123). „Quod debeo“ extat apud Senec. ep. 3, 6, 9 (Haase) sed accipe iam quod debeo et vale. Quocum conferas Augustin. ep. 229, 2 (33, 1020 Migne) Saluto et pignus pacis, quod Domino Deo nostro adiuvante feliciter accepisti, ea dilectione, qua debeo. Aliqua ex parte conferri possunt: Ennod. 1, 21 (Vogel) salu-

e. q. s. Alcim. Avit. 10, 25 (Peiper) Quapropter depenso
salutationis honorificae famulatu e. q. s. Epist. Mogun-
tin. 27 (Jaffé) Salutat te e. q. s.

Satis mihi multa verba fecisse videor de valedicendi for-
mulis; restat, ut de diebus locisque epistulis ascriptis explicem.

tans debita servitute ...; 1, 16 Domine mi, salutationem debendam resti-
tuens e. q. s. Praeterea cf. 5, 12; 8, 42.

Pars quarta.

De diei locique subscriptione.

Diem et locum veteres extremae epistulae ascribebant, ita tamen, ut praeter nostram consuetudinem diem ante locum ponerent. Quod cum ita sit, mihi primum de die, deinde de loco disputandum erit.

A. De diebus, quibus epistulae datae sunt, ascriptis.

Cum post aetatem Ciceronianam usque ad tertium post Christ. nat. saeculum epistulis, quae quidem aetatem tulerunt, nec dies nec locus ascriptus sit, ea, quae de hac re mihi dicenda sunt, paucis absolvere possum.

Atque commode incipiam a Ciceronis epistulis.

Harum priores exhibent plenam formulam, velut a. d. VI. Id. Apr., posteriores breviorē „VI. Id. Apr.“¹⁾ Excipiendae sunt subscriptiones tertii libri epistularum ad Atticum, in quibus „a. d.“ omissum et „data“ praescriptum est.

• 1) In contextu Cicero, quod sciam, etiam posteriore tempore „a. d.“ posuit (exceptis iis locis, quibus locutionem „ante diem“ praepositiones praecedunt). Boeckelius l. l. pag. 43 not. vult tales locos, veluti Att. I, 13, 6; 20, 1; II, 15, 3; III, 10, 1 corrigendos esse. Equidem certum iudicium ferre non audeo.

Nonnunquam nomen mensis omissum est, velut Cic. ep. ad fam. XVI 10, 2: XIII. K.; cf. etiam ad Attic. III 16.

Nonnullis locis dies festi ascripti sunt, velut ad Attic. IX 9, 4 d. Liberalibus; cf. etiam II 12, 4.

Raro consulum nominibus annus determinatur; exempli gratia Cic. ep. ad Attic. I 12, 4 Kal. Januariis M. Messala M. Pisone coss. Cf. etiam I 13, 6; 18, 8.

Item hora¹⁾ paucis tantummodo locis ascripta invenitur. Duos locos ponam: ep. ad fam. XVI 14, 2; ad Attic. II 10.

Litterae commendaticiae tempus, quo datae sunt, in fine nunquam, in contextu perraro exhibent. Huc pertinent: Cic. ep. ad fam. XI 17; 22; XII 26; 27; 29; lib. XIII; ad Brut. I 1; 7; 8.

Nunc ad eos, qui post Ciceronem fuerunt scriptores trans-eamus.

Atque Senecae, Plinii, Frontonis epistulis nec dies nec locus ascriptus est. Christianorum vero scriptorum consuetudo quam dubia atque inconstans fuerit, haec exempla documento sunt: Augustin. epist. 201, 2 (33, pag. 927 Migne) data V. iduum juniarum, Ravennae Monaxio et Plinta consulibus. Contra cf. epist. 182, 7 (33, pag. 786 Migne) datum sexto calend. februarias, Honorio et Constantio viris clarissimis consulibus.

His adicienda sunt:

Leo M. epist. 4 (54, Mig.) data sexto idus Octobris Maximo iterum et Paterio viris clarissimis consulibus; Gregor. M. 2, 7 (Ewald) data die V. Kalendarum Octobriarum indicatione²⁾ X; epist. Mogunt. 50 (Jaffé) data Viterbii 7 Kal. Aprilis. Hic locum iam ante diem positum esse vides.

1) Sueton. Oct. cap. 50 memorat, Augustum ad epistulas omnes horarum momenta nec diei modo sed et noctis, quibus datae significarentur, addidisse.

2) Cf. Fr. Blass i. Iw. v. Mueller, Handbuch der kl. Altertumswissenschaft, I, pag. 322.

Pro „data“ etiam „scripta“ invenitur, velut Monum. Mogunt. 3, epist. 117 (Jaffé) scripta indictione 11, 9 Kalendas Junias.

Ex his quae attuli exemplis satis apparet, a tertio post Christ. nat. saeculo rationem diem ascribendi prorsus aliam atque aetate Ciceroniana fuisse.

Exposita igitur diei subscriptione nunc dicam de locis, unde epistolae datae sunt, ascriptis.

B. De locis, unde epistolae datae sunt, ascriptis.

Locum Cicero semper fere post diem posuit; ante diem legitur his tantummodo locis: ep. ad fam. XIV 5, 2; ad Att. V 3, 3; XV 26, 5.

Nunquam locus sine die, saepe dies sine loco invenitur. Quod exemplis probare supervacaneum videtur.

Porro quod attinet ad casum, in quo locus positus est, saepissime ablativus invenitur. Qui casus nude positus est, cum urbium nomina propria ascripta sunt (pauca nobis exempla ex multis electa sufficiant: Cic. ep. ad fam. X 31, 6 Corduba; XI 19, 2 Vercellis; 20, 4 Eporedia), sin aliter, pendet ex praepositionibus ex (operae sane pretium esse arbitror huiusmodi exempla omnia numeris significare: Cic. ep. ad fam. V 9, 2; X 23, 7; 24, 8; 30, 5; 34, 4; XI 9, 2; 10, 5; 11, 2; 26; XII 11, 2; 12, 5; ad Att. V 3, 3; VII 3, 12; X 8 B, 2; XI 3, 3; XVI 10, 2; 13 c, 2; ad Brut. I 4, 6; 6, 4; 13, 2), ab (haec praepositio hisce locis legitur: Cic. ep. ad fam. X 35, 2; XII 13, 4; ad Att. II 10), de (extat duobus tantummodo locis: Cic. ep. ad fam. VII 18, 3; XIV 20).

Rarior est genitivus casus atque eorum tantummodo nominum invenitur, quorum nominativi in **a**, **us**, **um** cadunt. Huic casui semper, ni fallor, „data“ praescriptum est.

Si is, qui scribit epistolam, apud aliquem versatur, non „apud“ praepositionem usurpat sed „ab“. Unum huius structurae exemplum sufficiat: ad Att. V 3, 3 a Pontio ex Trebulano a. d. V. Idus Maias.

Etiam apud poëtas nomina locorum, unde epistulae datae sunt, nonnunquam ascripta sunt.

Atque Ovidius quidem ea plerumque in initio posuit. Ex multis exemplis haec proponam:

Trist. 5, 4, 1 (Merkel): Litore ab Euxino Nasonis epistula veni, e. q. s.

13, 1: Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem, . . . e. q. s.

Pont. 1, 7, 1 s.: Littera pro verbis tibi, Messaline, salutem
Quam legis, a saevis attulit usque Getis.

Cf. etiam 2, 2, 3 s. 2, 4, 1. 2; 6, 2. 3, 4, 2. 3, 5, 2. 4, 2, 2. 4, 9, 2. Heroid. 10, 3.

In fine epistulae nomen loci legitur apud Horatium in epist. 1, 10, 49:

Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae.

Perlustravimus aureae, quam vocant, litterarum aetatis exempla, iam christianorum scriptorum epistulas inspiciamus.

Atque hac quidem aetate omnia nomina, quorum quidem exitus est **a**, **us**, **um**, in genitivo casu posita sunt. Exempla sunt: Augustin. epist. 201 (33, pag. 927 Migne) dat. V. id. jun. Ravennae e. q. s.; Leo M. ep. 8 (Migne, 54) dat. XIII. cal. Jul. Romae e. q. s.; epist. Mogunt. 52 (Jaffé) Data Tusculani 8. Kal. Novembris.

Haec habui, quae de epistularum latinarum formulis dicere. Ex hac mea disputatione cum multum fructus ipse ceperim, ad litteras etiam aliquid redundare magno opere cupio.

